

Cyclometrici, & ipsius circuli, & segmentorum ipsius quadratio γεωμετρικῶς ὅτιque, καὶ κατὰ τὸν ἐπισημονικὸν λόγον, non autem τὴν ἀριθμητικῶς, ut Archimedes. Arithmetica enim locum hic non habet.

CLAVIVS.

HVIVSMODI vero in te tu tyrannidem exerces, non Archimedes, cum nihil solidi demonstres. Archimedes enim nunquam affirmavit, per numeros verè circulum quadrari posse, sed solum ostendit, quodnam quadratum per numeros inuentum ab area circuli parum absit. Hactenus de iis quæ in prolegomenis vel nimis arroganter, & gloriosè, vel falsò scripsisti. Dispiciamus nunc gradatim aliquos paralogismos tuos, ut omnes intelligant, te Geometriæ expertem esse omnino, atque ignarum.

SCALIGER in Prolegomenis.

CIRCA circulum IB , cuius centrum G , describatur quadratum FA : & in eodem inscribatur quadratum IB . Rursus idem centrum G , obtineat quadratum HE , cuius latus EK , sit æquale rectangulo sub BM , AL , hoc est, sub lateribus quadratorum inscripti, & circumscriptis. Ducta diametro FA , rectæ, NB , OE , productæ occurrant lateri LA : Item rectæ KE , MB , occurrant productæ lateri AP . Per 24. sexti rectangula tam
C 2 BA,